...tal.

Tomecki Francisci: Fructus honoris et honestatis ope virtutum, meritorum ac laborum M. Michaelis Czyrnicki – ex laurea theologica decerptus

FRUCTUS
HONORIS & HONESTATIS.*

* Eccli. 24. v. 23.

OPE
Virtutum, Meritorum ac Laborum
Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. MICHAELIS CZYRNICKI,

Sacræ Theologiæ LICENTIATI, Collegæ Majoris, Ecclesiarum; Collegiatæ S.FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CUSTODIS, Parochialium, Opatovecensis PRÆPOSITI, in Pobiedr CURATI, Contubernii Starnigeliani
PROVISORIS
ex
LAUREA THEOLOGICA

DECERPTUS;

Qui dum
in Ecclesia Collegiata DIVÆ ANNÆ
à
Perillustri & Reverendissimo Domino

D. M. ADALBERTO GRZYMAŁA

Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE, ejusdemq; Facultatis DECANO, Collegii Majoris ac Universitatis Seniore PATRE, Ecclesiarum; Cathedralis Crac. CANONICO, Collegiatæ SS. OO. PRÆPOSITO, Contubernii Hierosolymitani PROVISORE,
S. THEOLOGIÆ DOCTOR
Ritu solenni
crearetur ac renuntiaretur;
per

M. FRANCISCUM TOMECKI


Philosophiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, COLLEGAM Minorem Vocatum, Contubernii Starnigeliani SENIOREM, Sacræ Regiæ Majestatis
SECRETARIUM.

DEMONSTRATUS.

Annô
sICVT DoMINo pLaCVIt.*
Die 25. Mensis Januarii.

* Ioh. 1. v. 21.

CRACOVIÆ Typ: Semin: Episc: Academ: Diœcesani.



Non Tu jacentes vile perambulas,
Terras premendo, ſed vigor aliger,
Per ætheris campos citatum
Evehit & ſuper alta ſiſtit,
Poli haud paventem, tu ſapientiæ
Sublimioris candidus intimum
Cubile veſtigas Tonantis,
Et taciti penetrale Cæli.

P. Jo. Măſculus l. 1. Ode 27.

Seu cæcis penetralibus
Naturæ reſeras abdita, lucidæ
Conſultus ſapientiæ,
Sive inconſpicuum mentibus aſpicis,
Et caligine ſplendida,
Celari cupidum Numinis abditi,
Æternum jubar, & piô
Veſtigas oculis tecta ſilentiô.

P. Gilb. Jonninus. l. 1. Lyr. Ode 2.

Hæc ego, ſupremum cui fas attingere Numen,
Quæ ſcrutor Divina ſagax hinc inclyta laudem,
Auguſtumque DEI duco de Nomine nomen,

P. Ant. Chanut: in Parna, Pòët.



DeDICatorIa De Voto praeLoCVtIo.

JNnumeros annos, quin sæcula cuncta coronat
Gloria, quæ meritis est tribuenda Tuis.
Ergo suscipias hæc paucula verba clientis,
Hæc etenim Nomen narrat opella Tuum.
Perpetuos isthic parvus liber ibit in annos,
Nominis unde Tui fama perennis erit.
Non mihi divitiæ culti sermonis habentur,
Hæc tamen augustas pagina præstat opes.
Divitias animi loquitur Tua gloria Mundo,
Et pretium magni DOCTOR honoris habes.
Est opus, ut pateant annis exempla futuris,
Sunt exempla, Tuæ sunt probitatis opes.
Extat doctrinæ FRUCTUS pretiosior auro,
Non lateat splendor Nominis iste Tui.
Dum latet, haud colitur, si detur gemma Coronæ,
Plus multò pretii plusque decoris habet.
Nam virtutis honos altis se laudibûs ornat,
Et magis augustus, si celebretur, erit.
Magna Tuis dignè meritis nunc præmia dantur,
Et data concinnant præmia laudis opus.
Laurea Sacra Tuam præcingit Laurea frontem,
Laurea sed laudis nomen & omen habet.
Gloria magna Tuis se totam plausibus offert,
Sed memores fastos gloria magna tenet.
Eximia DOCTOR semper virtute coruscas,
Hanc quoq; perpetuus concomitatur honor.
Qualibûs ipse nites hæc talia dogmata pandis,
Moribûs egregiîs erudiendo, nites.

Hæc verò docti merces condigna laboris,
Ut capiat laudes perpetuumq́; decus.
Hanc habet alta sui ſortem Sapientia FRUCTUS,
Ut mereat laudi ſæcula cuncta ſuæ.
Et cur non liceat juſtas Tibi ſcribere laudes?
Quomodo nunc calamus corq́; tacere poteſt?
Materiam calamus rutilo ſplendore coruſcam,
Gaudia cor ſortis non pereuntis habet.
Nulla Tuas unquam dotes oblivio tanget,
Quas canimus, cur non gaudia ſemper erunt?
Poſtulo materiam calamo laudare volenti,
Hìc omnis Virtus, hic patet omne decus.
Hìc pietatis amor, pariter prudentia regnat,
Hìc labor & ſtudium ſedulitate nitet.
Iuſtitiæ venerandus honos & pectoris ardor,
Et bonitas ſedes hìc poſuere ſuas.
Robur in adverſis cœpti conſtantia facti,
Et quidquid valeat more placere viget.
O quanta probitate nites, & munera ſortis,
Quæ mentem ditat, nonne beata tenes!
Quæ dotes hominem produnt virtute decorum,
Hìc ſunt, hìc reſident, forte ſilere decet?
Gratulor, haud ſileo magno PROVISOR *honori,*
Quem Capiti Superûm dona dedere Tuo.
Quem meritis retines ſummisq́; laboribûs ornas,
Quem Tibi virtutis contulit ipſe decor.
Accipias dignam DOCTOR *cum ſole Coronam,*
Pro viridi lauro lumina magna feras.
Vive dies multos tanto decoratus honore,
Semper fama Tuum nomen in Orbe canat.
Vive ſed incolumis Cæli ſolamine plenus,
Hæc Tibi corde cliens teſtificante precor.

PA-



PANEGYRICUS.



Ihil unquam in vita jucundius, nihil beatius, nihil gloriosius hoc prosperrimo eventu desiderare poteram, quòd sacram Theologici Honoris Laureã, quam exantlato comparâsti labore permiseris me Tibi gratulari *Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine* NEODOCTOR. Duo enim hìc dulcissimæ exultationis genera facilè mihi obveniunt, tum quia Tuo applaudere honori maximus honor & gloria est, tum quia grati obligationem animi, immortale studium, tenerrimos affectus, celerrimam ad obsequia Tua promptitudinem ac invictum amorem per hanc Tibi paginam coram toto contestor Orbe. Profectò enim gratum præstare animum accipientis beneficia obligatio est, atq; *in referenda gratia* (a) *debemus imitari fertiles agros, qui plus multò afferunt, quàm acceperunt, nam si in eos,* (b) *quos speramus nobis profuturos non dubitamus officia conferre, quales debemus in eos esse? qui jam profuerunt.* O me ingratum nec nominari dignum! si tacuero, quantum mihi profue-

(a) *Cic: 1. Offic.* (b) *Idem 2. Offic.*

ris? audiat Orbis, legant sæcula, admiretur posteritas, præstitam mihi beneficentiam Tuam, ecce Tui affabilitas vultûs incredibilis, candor oris admirabilis, benignitas cordis ineffabilis, quid aliud sunt; nisi magnarum indicia gratiarum. Hinc igitur in Te PROVISORE Dignissimo, Protectorem faventissimum immo etiam Patrem gratiosissimum agnosco; qui me toties consiliô juvisti, favore erexisti, respectu stabilivisti, gratiîs protexisti, quoties mihi sublevatricem dexteram etiam non audenti rogare porrexisti: ergo tacerem beneficia? *omnes immemorē (c) beneficii oderūt, & nihil est (d) tàm inhumanū, tàm immane, tàm ferum, quā comittere, ut beneficiîs propter oblivionem eorum indigni videamur.* Quantam idcirco sentio voluptatem animi, quantæ sunt mihi cordis deliciæ, quantis superabundo gaudiîs, quia saltim minimū hoc gratulationis meæ obsequium pro immensis retribuo beneficiis. Verùm quid agam verborum inops? quo consiliô rem intentam perficiam. *immensa beneficia* (e) *iměnsis laudibûs celebranda sunt*: at nullos quæram sermonis ornatus, nullum ab arte & ingenio prætendam suffragium, Tuas potiùs *Perillustris Domine* NEODOCTOR virtutes, Tuas dotes, prærogativas, merita, labores, in unum breve convocabo compendium, atq; hæc sacra supellex laus immensa erit, qualem Tua ad celebritatem suam præstita mihi merentur beneficia. Non solius equidem humanitatis regulas rigidè observas, nec solam in exhibendis favoribus beneficentiam colis, verùm omnes altissimæ honestatis decores communi quodam sociâsti vinculo, ut totam sublimium amplitudinem virtutum felicissima & sancta hæreditate possideres. Domonstrâsti gloriosissimô

(c) *Socrat.* (d) *Cic: pro Planc:* (e) *S. Gregor.*

ſiſſimô exemplô, quod olim quidam verbîs innuerat, quia *non eſt virtute* (f) *ulla poſſeſſio pretioſior*, & quia *virtus* (g) *maximum rerum humanarum bonum ipſa pectori inſerit fructum immortalem aurô potiorem*. Omnia nugas & ineptias rectè credideras, ſolius virtutis pulchritudinem & ſapientiæ ſplendorem dilexeras. noveras enim perbellè. quód *ſapientia* (h) *eſt via recta, quæ ad virtutem ducit, veniunt autem* (i) *omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Atq; ideo viciſti famam virtutibûs Tuîs, quia ſingulas illasq; perfectiſſimas in Tuum induxiſti animum, plenitudinem ſapientiæ Tuæ nexum quendam omnium ſanctarum perfectionum feciſti, unde quantus magnitudine virtutum, tantus etiam amplitudine extitiſti. Exiſtimas nempe laudabili procertò opinione, quòd ſi aliquam ex virtutibus minùs acriter cures, honor Tuæ ſapientiæ cadat, nec Tibi labor erat hæc magna Divinitatis dona in tota ſua plenitudine & eminentia comparâſſe, qui non extrinſecùs quæris, ſed intra Te ipſum habes, unde benefacias, & quid obſtat, quò minùs res ipſa bonam ſequatur voluntatem. Nimirum ſortitus es animam bonam indole præclara ac ſublimi dotatam, & quid mirum eſt, quòd tanta felicitate virtutem, cum virtute eruditionem, cum eruditione ſapientiam, cum ſapientia gloriam multorum utilitati conjunctam conquiſiveris? Habes jam omnia, quæ ad commendationem magni ac probatiſſimi Viri exigi ſolent, virtutem, ſapientiam, merita & honorem. Præconia forſan adhuc Tuîs digna laboribûs requiris? quis Te laudabit? en qui Te laudat, virtutem omnino laudat, idem enim eſt Te

B2 dice-

(*f*) *Stobæ: cap.* 1. (*g*) *Idem cap.* 8. (*h*) *S. Auguſt.* (*i*) *Sap.* 7.

dicere, quòd virtutis celebrare laudes, cæterùm mavis laudanda agere, quàm laudari. Cuncta profectò habes, quæ in vita desiderari possunt, *nam omnia ei adsunt bona*, (k) *quem penes est virtus*, patere quoq; ut quibûs fulges decoribûs, & quæ præsens cum delicio intuetur ætas, illa etiam reverentiali conscripta calamô immortalitati pateant, sic Tibi erunt FRUCTUS HONORIS & HONESTATIS de Sacra Laurea Theologica decerptus.

LAudes, gloria & honor pulchra quidem sunt, sed parum æstimationis habent, & brevi tempore desinere solent, si Literarum testimoniô non nitantur. Honor equidem præmium virtutis est, quæ cùm sit Divinæ particula auræ, perpetuam immortalitatem meretur, & nonne sua quoq; merces immortalis esse debeat? immo verò omnino expedit, ut honoris commendatio ab immortalitate pendeat, nam sic exercitia virtutum posteritati tradentur imitanda. Quid vero? quomodo magna virorum merita venturis ad notitiam porrigentur sæculis, nisi testimonia scriptorum præstò adfuerint, quæ merita, virtutes & eruditos labores posthumæ ætati recommendent? Enimvero *Literæ posteritatis causâ repertæ sunt*, (l) *quæ oblivioni subsidio esse possent*, nam *exempla omnia* (m) *jacerent in tenebris, nisi Literarum lumen accederet*, proinde opus erat magna ac laudatissima opera Tua *Perillustris Domine* NEODOCTOR literis mandari, ut debita sibi immortalitate gaudeant, atq; subsecuturi instructioni deserviant ævi. Habes enim jam omnes honestatis decores, habes magnæ dignitatis insignia sacram nempe Lauream Theologici honoris, quis horum fructus? perpetua nimirum immor-

(k) *Plaut.* (l) *Cic. pro Syl.* (m) *Idem pro Archia Poëta.*

immortalitas, quæ Tuis maximis ac innumeris meritis ipsius naturæ lege debetur. At quomodò hæc gloriosissima Tuarum documenta virtutum futuris paterent sæculis, nisi saltim exiguæ mandata paginæ in lucem prodirent publicam, & immoriturae memoriæ ad utilitatem perpetuam traderentur? Promeruisti etenim, quod quidam rectè ac prudenter dixerat, quia *magnorum nomina virorum* (n) *per orbem terrarum celebrata scriptis extingvi nulla vetustate possunt*, hæc Tibi sanè debetur portio laudis, quem maximarum excellentia virtutum, ac eruditorum prærogativa laborum in hunc tantæ dignitatis gradum evexit, & quid ergo Tibi ad celebritatem nominis desit? solus nempe honoris & honestatis FRUCTUS, qui est æterna Tuorum memoria meritorum.

Primùm igitur teneræ ætatis Tuæ primordia in exemplum venturæ posteritati propono, quæ quanta, quàmve laudanda fuerint, vix dici aut scribi potest, ille animus Tuus omnium bonorum exercitiorum capax, jam tunc luculenter monstrabat, quantùm bonitate præstabas, quantùm valebas ingeniô, quantùm industriâ excellebas. Jndoles illa benignitate naturæ in Te eminuit, per cujus præclaros ad virtutem impetus statim proditum erat, quòd cum anima summam promptitudinem ad celeberrima gesta accepisti. Hinc indolem Tuam quis non amaret? quis debitis non efferret laudibûs? dilexit illam magnus olim magnorum ingeniorum Arbiter *Jllustrissimus & Magnificus Dominus* ANDREAS *de Zydowo* ZYDOWSKI VEXILLIFER, JUDEX *Castrensis Cracoviensis*, qui Te Adolescentem tenerrimo prosecutus affectu ad eximios formabat mores, & excellentissimâ prudentiâ ac omni-

Tenera ætas Perillustris Domini quàm culta.

Honesta educatio Perillustris Domini in Aula Jllustrissimi Andreæ Zydowski Vexilliferi & Judicis Crac.

C

(n) *Manut. lib. 1. Epis. 3.*

omnium decore virtutum imbuebat. Quid enim Vir ille nobilitate generis conſpicuus, celebritate famæ præclarus, antiquitate Proſapiæ commendabilis, dignitatum ſplendore ornatus, ac ſublimis ſapientiæ & maturæ prudẽtiæ donis decorus, quid ille magis diligeret, quàm Tuũ illud beatum ingenium & magnopere proclivẽ ad omne bonũ animũ? ut enim ipſe erat ſæculorum gloria, populorum amor, eruditionis decor, ac omnigenæ virtutis cultor; ſic Te ſuæ illius ſanctæ verum imitatorem induſtriæ diligebat. Creſcebas in ejus Aula, quam potiùs Scholam probitatis dixerim; creſcebas ætate, eruditione & virtutibûs, quidquid enim ille dixerat, illud oraculum ſapientiæ celebrabatur ab omnibus, quidquid fecerat, exemplũ feliciſſimæ perfectionis erat, quidquid ſvaſerat, ſemper probavit eventus, quidquid ſcripſerat, ſaluberrimũ fuit legentibus dogma ac delicium. Quid verò ex tanti perfectione Viri non perdiſceres? ecce enim *magnæ indicia virtutis à magnis exercitæ Viris* (o) *bonæ indoli ad magnos ac laudabiles auſus incitamenta ſunt*, ſuſcepiſti magnô animô magnorum experimenta geſtorum, & quam virtutum amplitudinem in magnis viris obſervaveras, eam Tibi omnino ſequendam propoſueras. Mox avida eruditi laboris indoles Tua & neſcia umbras ignorantiæ pati ad Artium Te Liberalium provocavit ſtudia, dictabat Tibi ſagax ingenium Tuum, quia *multùm oportet illum laborare* (p) *qui glorioſam laudem conſecutus eſt*, innatus ille vigor ſemper ad laudabilem inſtitutionem vitæ animum Tuum incitabat. Favit proinde tam laudabili intentioni Tuæ prælibatus JUDEX Crac: atq; ex motivo celeberrimæ prudentiæ ſuæ ac tenerrimi erga Te amoris ſtudia Tibi in Alma Univerſitate

noſtra

(o) *Heſiod. apud Stob.* (p) *Theodec. apud eundem.*

noſtra peragenda perſvaſit & præclariſſimis Magiſtris erudiendum Te comendavit. Ardorem ſciendi quis in Te mirari deſineret? quantùm enim capacitatis amplitudo ſeſe extendebat, tantùm acerrimæ alacritatis dilatabantur ſpatia, plùs moderatione Magiſtrorum quàm ſtimulîs egebas, quia virtutis amore eruditionem ſectabaris. *Labor bonæ famæ* (q) *pater eſt*, Tu tamen illi glorioſo labori novam addidiſti gloriam, quem tam ſolidè adamâſti, tam ſtrenuè exercuiſti, tam ſollicitè cuſtodiviſti, tam ſincerè coluiſti, tam ſanctè virtutibûs ornâſti, ut omnes, qui in Te ſuos convertebant oculos, non dubitarent dicere, quòd *virtus* (r) *per labores incedit*, quia etiam ſcientias ignorare malles, ſi ſtrictum cum virtute conſortium non haberent. Propria virtus Tibi in erudito labore dux erat & ſolatium, immo verò labor ipſe Tuus pura virtus erat, quia ſimul virtutem & eruditionem fervido augebas conatu & in quærendis ſcientiis rationem ſanctimoniæ proponebas. Jnter præcepta bonarum Artiũ Regulas ſanctè vivendi inveſtigabas, atq; ſic illa promptitudo memoriæ incredibilis, perſpicacia mentis admirabilis, celeritas ingenii matura, capacitas animi beata ex intenſione virtutum ortæ Te omni difficultate ſuperiorem, omni abſtruſione altiorem, omni ſubtilitate acutiorem redderũt. Proceſſiſti igitur poſt adoleſcentiæ años Vir magnus omnes ſingulariſſimas ſcientiarum divitias cum virtutum opibus conjunctas pleniſſimè lucratus & complexus. Apparuiſti in luco Academico lux non exigua, ſinceritate Latini idiomatis ût nemo meliùs inſtructus, ligati ſermonis totam integritatem planè edoctus, gravitatem verò ac venuſtatem eloquentiæ conſecutus illam, quam

C2 haud

(q) *Iphigen. apud eundem.* (r) *Heſiod: apud eund:*

haud aliquando vetusta etiam sæcula habuerunt. Jn Philosophico autem Cursu quàm maturam celeritatem ingenii, quàm gravem subtilitatem perspicaciæ mõstraveras, intellexerunt illi & omnibus judiciô suô perspectum fecere sæculis æquè prudentissimi ac sapientissimi Viri maximîs semper concelebrandi laudibûs ac immortali memoriâ digni, qui Te Laureîs Philosophicîs ornaverunt. Jmmo verò quod apertius est dotum Tuarum ac scientiarum testimonium? quàm ille integerrimus amor

Singulares favores Reverendissimi olim Waleszynski erga Perillustrem Dominum.

quem Tibi *Perillustris olim & Reverendissimus Dominus* M. MARTINUS WALESZYNSKI, *Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Collegii Majoris Senior Pater ac multoties Vigilantissimus* RECTOR *& plures per annos* PRO CANCELLARIUS, *Cathedralis Crac.* CANONICUS *&c. &c.* exhibuerat? Vir magnus ingeniô, maturus judiciô, felix consiliô, auctoritate summus, gravitate morum augustus, activitate celeberrimus, omnibus acceptus & amabilis. *Magnus Reip: Literariæ stator,* (s) *Orbis Academici lumen & columen, Togatæ Gentis decus & præsidium,* cujus merita miracula sunt Mundi, ejus sapientia omnem sublimitatem transcendit, ejus labores tam in Ecclesia Dei, quàm in Orbe Academico incredibiles, ejus vita pura, omnium virtutum integritas ac totus illibatæ conscientiæ tenor, ejus æstimatio apud magnos Proceres ineffabilis. Tantus igitur Pater, tantæ acceptionis Doctor admirabili Te dignabatur respectu, diligebat Tuos celeres ingenii motus in condiscendis Literis, laudabat vigilem diligentiam, admirabatur eximium in studiis profectum, respiciebat sanctam comitatem morum & omnes egregias dotes Tuas maximopere æstimabat. Quamobrem Tua sex annorum studia in minoribus Scho-

lis

(s) *Panegyris in obitum ejus.*

lis ſua protectione ornabat, ad primam in Philoſophia Lauream recipiendam ille Te ſolidô animavit conſiliô, ille promovit, nihil illi erat jucundius, quàm Tua conſvetudine frui, Tuos eruditos labores condignîs remunerare præmiîs, Tua merita ad altiores in Univerſitate honores promovere. Quid verò? *magnis Viris* (t) *magna honeſtas in delicio eſt*, & ſimile ſimili gaudet, hinc amori WALESZYNII erga Te non dubitavit ſuos tenerrimos ſociare affectus *Perilluſtris olim & Reverendiſſimus Dominus* HYACINTHUS ŁOPACKI, *ſacræ Theologiæ & Medicinæ Doctor, Eccleſiarum; Cathedralis Crac.* CANONICUS, *Collegiatæ Sandomirienſis* DECANUS, B.V.M. *in Circulo Crac.* ARCHIPRESBYTER JNFULATUS, qui Te in ſumma per ſex viginti annos æſtimatione habuit, ſummîs gratiîs & favoribûs honoravit, ſumma ſemper dilectione ut dimidium animæ ſuæ coluit, ſummô ſtudiô proſequebatur; unde ex dictamine tanti erga Te amoris ad ſacros Te promovit Ordines & Beneficium Tibi pro titulo ordinationis in magna *Gierałtowice* procuravit. Et verò quid iſte magnus Sacerdos, Craciæ Urbis decus, Eccleſiaſticæ ornamentum Hierarchiæ, vivum ſanctitatis exemplar, ſcientiarum compendium, quid iſte magìs ſuo complecteretur affectu? quàm illam Tuam conſtantiam in bono, elegantiam in omni actione, veritatem & rectitudinem in ſermone, continuam & altam exercitationem in virtutibus? hæc enim celeberrima talenta, ut ipſe invictô ſemper colebat animô, ſic in aliis maximè honorabat. Amabat eruditos Viros ipſe ſolidæ eruditionis dives, illam in tota plenitudine comparavit ſapientiam, quæ intimè virtuti adhæſit, nam quod eſt tantum ingenii

Jnſignis æſtimatio Perilluſtris Domini apud Reverendiſſimum olim Łopacki.

D

(t) *Stob. cap.* 3.

nii flumen? quæ tanta verborum copia? quod tantum dicendi genus? quo hujus Viri omnibus desiderandi sæculîs, pietas in reparandis ac ornandis Templis, devotio in elevatione mentis ad DEUM, solicitudo circa animarum salutem, liberalitas injuvandis egenis exprimatur. Quis proinde à tanto æstimaretur & amaretur Viro, nisi bonus? ita est; bonitas vitæ eximia tantos Tibi conciliat affectus, nam si etiam illos æstimatores Tuos taceam, qui nobis memorabilem in morte sua reliquerunt dolorem, Cælis autem intulerunt gaudium, habes præterea dignissimos virtutum Tuarum Arbitros, qui & nobis adhuc in terris & Divis Cælitibus delicium sunt. Adest, adest *Illustrissimus Excellentissimus & Reverendissimus Dominus*, D. MICHAEL *de Granow* WODZICKI, DEI & *Apostolicæ Sedis Gratiâ* EPISCOPUS *Præmysliensis*, *Supremus Regni* CANCELLARIUS, maxima sæculorum admiratio, Romanæ Urbis delicium, Lechicæ Gentis amor & præsidium; qui summîs in Patriam & Ecclesiam DEI immo admirandîs meritîs omnem immortalitatem ad stuporem traxit, innumerîs publicîs functionibûs laudabilissimè peractîs perpetuam Regno Poloniæ comparavit famam, immensîs laboribûs & maximîs virtutibûs suîs omnem gloriam superavit. Adest inquam hic ANTISTES sacerrimus, SENATOR sapientissimus, MINISTER Regni prudentissimus, PATER Patriæ æstimatissimus, & quanto Te prosequatur affectu, præstitîs Tibi summis favoribûs manifestat. Adest etiam *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus* FRANCISCUS *de Potkana* POTKANSKI, DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ EPISCOPUS Patarensis, SUFFRAGANEUS, CANONICUS, VICARIUS in Spiritualibus & OFFICIALIS Generalis Cracoviensis, qui tantũ Tua æstimat talenta, quantũ quisq; pruden-

Præcipui respectus Illustrissimi & Reverendissimi Wodzicki, Episcopi Præmysliensis, Cancellarii Regni, Perillustri Domino præstiti.

Magni favores Illustris: & Reveren: Potkanski Episcopi Patarensis, Suffraganei Crac: Perillustri Domino exhibiti.

dentiſſimus & ſapientiſſimus ſolet. Nam quomodo hic magnus PRÆSUL omni elogio ac dicendi genere ſublimior de bonis Viris non rectè ſentiat? qui omnium ſanctiſſimarum virtutum & altiſſimæ ſapientiæ vivam in ſe ipſo exhibet normam, quem ut celeberrima Jlluſtriſſimi Generis exornat nobilitas, ſic immenſa merita & ineffabiles animi dotes omnium ſæculorum laudibus recõmendant. Nec poteſt præteriri ſilentiô *Jlluſtriſſimus & Magnificus Dominus* IOANNES *in Zakrze & Nowoſielec* NOWOSIELSKI CASTELLANUS *Ciechanoviẽſis*, CAPITANEUS *Caſtrenſis Lukovienſis*, Vir de Patria Meritiſſimus, quẽ ob amplitudinem æquè ac magnitudinem laudabiliũ geſtorum omne ſæculũ præſenti invidebit. Quæ enim ætas tantum non poſceret Virum? quem totus Polonus Orbis magnum conſiliô, ſublimem ingeniô, maturum prudentiâ, profundum judiciô, animô in adverſis vinci, in proſperis efferri inſolitô generoſum agnoſcit, qui pietatem in DEUM, in Reges fidem, in Patriam amorem, in omnes benevolentiam integerrimè ſervat. Hic eſt ille prudentiſſimus Senator & æquiſſimus Judex, quem certè non ſola quamvis antiquitate celeberrima, dignitate ſublimis, tot maximarum Cognationum nexu auguſta Jlluſtriſſimi Sangvinis prærogativa, ſed ſimul vitæ integritas, cordis magnanimitas, facundiſſimi oris felicitas, juſtitiæ amor, legum obſervatio, & aliarum omnium virtutum ſumma celebritas promovit ad honores. At ecce Vir tantæ auctoritatis, tantîs meritîs ac honoribûs ornatus, tam præclara nominis altitudine auguſtus, quos Tibi non exhibet reſpectus? parùm illi videtur ſua tam præcellenti fulgere gloriâ, niſi etiam in præſtandis Tibi magnis gratiis ac favoribus excellat. Hos tanti Viri erga Te affectus auget quoq; *Jlluſtriſſima*

Ineffabiles affectus Jlluſtriſſimi Nowoſielſki, Caſtellani Ciechanovienſis & Jlluſtriſſimæ Conſortis Ejus erga Perilluſtrem Dominum.

ſtriſſima & Magnifica Conſors Jllius ANNA *de Zydowſciis* NOWOSIELSKA, quã propriæ ita recommendant dotes, ut nullo Oratoriæ pennæ opus habeat præconiô; laudant eam opera ejus, *fortitudo & decor indumentum ejus* (u) *procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Mulier fortis ſublimibus ingeniis eminentior, aureo eloquio pretioſior, omni oratoria ſuperlatione altior: porro virtus illius ſe ipſam miratur, quòd tantum poſſit in tam delicato ſubjecto, nam tantam gravitatem morum, tam ſirmam conſtantiam, tam ſolidam prudentiam, tam auguſtam quia innatam Stirpi ſuæ generoſitatem exhibet; ut ſexum ſuum excedere videatur. Domina hæc tantîs tamq; eximiîs ornata qualitatibûs cùm ab annis triginta usque ad nunc tam ſancta in Te omnium virtutum ſpectaret exercitia ac ſummæ in bono conſtantiæ tenorem, præter alios innumeros præſtitos Tibi favores & præter alia pietatis ſuæ ſpecimina tum Tuis circa bonum Eccleſiaſticum curîs, tum ſua devotione permota non parvam fundi, ſive agri partem Eccleſiæ in *POBIEDR* condonavit.

Ecce quid Virtus Tua non valeat? quæ non ſolùm Tibi, verùm etiam Divinis Sanctuariîs magnos conciliat reſpectus, quam ut planiùs poſteritati exponam, ſingillatim partes & ſpecies illius quantùm vires animi ſinunt, enarrabo. Prima mihi occurrit percelebris prudentia Tua, quæ procertò veluti *lucerna* (w) *animi* optima eſt vitæ Tuæ ratio, nam ex Tuis actionibus rectè intelligi poteſt, *prudentia eſt* (x) *appetendarum & vitandarum rerum ſcientia*, ita enim decorem honeſtatis appetis, ut totam illius pleniſſimè complectaris ſummam, ita minimum quoq; evitas defectum, ut nihil

Prudentia Perilluſtris Domini perquàm laudabilis.

(u) *Prov. 31. v. 25.* (w) *Goudin.* (x) *S. Auguſt.*

hil in Te & inimicus oculus ad arguendum reperiat; at hæc eſt ſana & recta ſcientia agendorum. Si veró *vigilans prudentia* (y) *ſurgit ab uſu multiplici*, quis tuam maturitatem ſummís concelebrandam laudibûs cum optima rerum experientia conjunctam eſſe non intelligat? habes enim præteritorum eventuum tenacem & vaſtam memoriam, futurorum reſpectum continuum, contingentium diſcretionem perſpicaciſſimam, inſperatorum cautionem ſagaciſſimam, unde hoc? uſus nimirum optimus Magiſter Te multa docuit, ratio plura. Quibûs laudibûs Tua ad omnes partes circumſpectio extolli poteſt? quo dicendi genere Tua in ordinandis mediis ad conſequendum boni operis finem providentia celebrabitur? quo eloquio Tuum maturum conſilium omni ex parte perfectisſimum exprimetur? qua ingenii & oris potentia Tuum in rebus diſcernendis judicium enarrabitur? cùm Tuæ prudentiæ dotes non ſolùm omnes eloquentiæ conatus, verùm etiam omnem admirationem hominum ſuperaverint. Jam verò ſi *maxima perfectio prudentis eſt* (z) *docilem ſe exhibere Majoribus, quorum conſilia ſunt veluti demonſtrationes in agibilibus* ex Te magno DOCTORE hujus perfectionis norma & exemplar habetur, qui non tantùm Superiorum ſed etiam Confratrum Tuorum ſana acceptas conſilia, & iis, quæ bono communi utilia ſunt, facillimè acquieſcis. Veritatem hanc monſtrabunt etiam pii Cineres *Perilluſtris olim & Reverendiſſimi Domini M. CASIMIRI JARMUNDOWICZ U. J. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiarū; Cathedralis Crac. Electi CANONICI, Collegiatæ SS. OO. CUSTODIS, Parochialis in Luborzyca CURATI, Contubernii Juriſperitorum, Starngeliani tū Alumnatûs Roſzczeviani* PRO-

Mutuus amor & ſincera amicitia Perilluſtris Domini cum Reverendiſſimo olim Jarmundowicz

E

(y) *Mantuan.* (z) *Javellus in Eth. h. t.*

PROVISORIS, Librorũ per Diæcesim Cracoviensẽ Synodalis CENSORIS, Viri egregiè cordati, quàm de RegnoLiterario, tam de Ecclesia Dei longè mèritissimi, boni communis Academici zelô ardentissimi, magnis Principibus ac Proceribus ob incomparabilem juris notitiam acceptissimi, in omni virtute ac in omni sapientia consummati, in eruditis laboribus continui & acerrimi, hunc etenim cùm tenerrimè velut Confratrem amares, & prudentissimum scires, consiliis illius assentiebaris cum delicio & mutuò illum in tuenda communi integritate adjuvabas. Nosti enim perfectè, quòd amicitiam cum bonis colere Viris ad prudentiam pertineat, non solùm ideo, quia *cum sancto sanctus eris* (a) *& cum Viro innocente innocens eris*, verùm etiam quia *non postrema pars justitiæ* (b) *est amicitia*, jam verò *sine justitia* (c) *nihil valebit prudentia*, quam in Te omnibûs absolutam numerîs intuemur. Jmmo verò hujus virtutis donum magnopere Tuam recommendat Lauream, equidem *in corde prudentis* (d) *requiescit sapientia*, quæ præmia DOCTORI meretur, quin etiam hæc tanta maturitas judicii Tui Te ipsum felicem ac beatum reddit, quia *nihil homini prudenti dulcius* (e) *aut sagaci ac bona mente melius est*, quod ipsũ in Te evidenter spectatur, nam ex quo omnia ordinatè agis, omnia rectè disponis, solertiam ad omnes actiones adhibes, mentem Tuam accurata deliberatione obfirmas, inde statum animi semper tranquillum habes & pacatum. Tranquillus est animus Tuus dilectæ amator pacis, sed post prudentiæ splendorem etiam luce justitiæ coruscat, nam *justitia quoq;* (f) *multam affert homini tranquillitatem*, *justitiæ*

Jntaminata Justitia Perillustris Domini.

laus.

(a) *Psal.* 17. *v.* 26. (b) *Macrob. in Eth. h. t.* (c) *Cic.* 2. *Offic.* (d) *Prov.* 14. *v.* 23. (e) *Cic.* 1. *Tusc.* (f) *Diog. apud Stob.*

laus & *gloria* (g) *est mentis fiducia & animi bonus status.* Nec verò illam solùm sectaris justitiam, quæ *majori reverentiam,* (h) *pari concordiam, minori disciplinam, DEO obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam reddit.* verùm etiam illam & seriò colis, quæ *negligit propriam utilitatem* (i) *ut servet communem æquitatem.* Hanc enim maximam justitiam ad commune ordinatam bonum quàm sanctè exerces & quàm strenuè pro illa decertas, jam datîs Tuæ dexteritatis exemplîs satis monstraveras, & qui ad defensionem illius requiratur zelus, quæ exigatur constantia ac strenuitas? jam pridem edocueras. Edocueras nempe ex Cathedra plurimos aurea explicatione Ethicus ac Theologus, bene gnarus: quòd *qui docti fuerint,* (k) *fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui erudiunt multos ad justitiam, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Satisne! satis certè ad commendationem magnis etiam Viris sed non Tibi, latiùs profectò patuit Tuus justitiæ amor, innumera pene subsellia in admirationem traxit, immo ipsi etiam innotuit Romæ, dum causas de Decimis Universitatem concernentibus mirabili activitate ac diligentiâ per tres prudentissimè promoveres annos, donec cordatissimus Vindex Victor extiteris donec Universitati proventum & integritatem justitiæ restitueris. Quas autem in tanto negotio pro integritate boni communis Academici solicitudines & incommoda non sustuleris? sed observâsti omnino illam sanctionem legis- *bonum publicum* (l) *privatorum commodis anteponitur-* immo etiam legibûs humanîs non vocatis in memoriam nihil aliud procertò ageres, nisi quod æquius, sanctius,

Causas de Decimis Universitatis Perillustris Dominus trium annorum negotiô in variis subselliis etiam Romæ promovit & evicit.

E2

(g) *Menand. apud eund.* (h) *S. Anselm. lib. cur Deus.* (i) *S. Ambros. lib. de Offic.* (k) *Daniel. 12. v. 3.* (l) *§. Sancimus in auth. de Restit.*

ctius, laudabilius & perfectius est, nam *qui justus est,* (m) *mores proprios habet tanquam leges.* At verò *justum sanè dicas,* (n) *qui sincerè & candidè ingenio est,* protulit quidam: quis has in Te non cernit dotes mirabiliter resplendere, ac propterea quis Te justum immo justissimum non dicet! qui certissimè illa æquitate polles, quæ sincerè promovet ad præmia dignos, laborantibus ac emeritis candidè favet. Cæterùm tamen ita faves uni, ut nihil alteri damnosi inferas, conformas Tuam rectæ legi mentem dicenti: *non tam uni favendum est,* (o) *ut alteri fiat injuria,* & probas, quia procertò *justi mores Viri* (p) *injuriam facere nesciunt, justitia* enim (q) *omnium est domina & regina virtutum, justitiæ inest* (r) *splendor virtutis maximus, ex qua boni Viri nominantur.* Lætare ergo ô magne æquitatis Cultor, lætare! *fundamentum perpetuæ commendationis & famæ* (s) *est justitia, Viri justi fructus* (t) *non perit, in memoria æterna erit justus,* (u) *ab auditione mala non timebit.* Jam ergo innui Tuum justitiæ amorem, atq; zelum illius acerrimum in ipsa evidentia monstravi, unde omnino expedit, etiam Te fortem dicere & magnanimum, nam *fortes & magnanimi habendi sunt* (w) *non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam, quia fortitudo est Virtus* (x) *pro æquitate pugnans,* & pro legibus. Non illam quidem induisti fortitudinem, quæ in hostes ruit, armis terret, sangvine campos cruentat, sed quia *Vir sapiens* (y) *fortis est,* cum sapientia Tibi fortitudo advenit, *melior quoq; est sapientia,* (z) *quàm*

Admirabilis fortitudo Perillustris Domini NEO-DOCTORIS.

arma

(m) *Menand. apud. Stob.* (n) *Philonid. apud eund.* (o) *l. impuberi de admitt. tut.* (p) *Menand. in Georg.* (q) *Cic. 3. Offic.* (r) *Idem 1. Offic.* (s) *Cic. 1. Offic.* (t) *Stob. c. 9.* (u) *Psal. 111. v. 7.* (w) *Cic. 1. Offic.* (x) *Idem ibid.* (y) *Prov. 24. v. 5.* (z) *Eccle. 9. v. 18.*

arma bellica, unde meliorem cum illa portionem fortitudinis acceperas, nam *fortis est*, (a) *non qui hostes superat, sed qui superior voluptatibus existit*; jam verò *eruditus homo munditiâ gaudet* (b) *honestatis pulchritudine delectatur*. Porro *non mediocris animi fortitudo est*, (c) *quæ sola defendit virtutum ornamenta omnium & justitiam custodit*, atq; hanc propriam Tibi quis non afferat? cui innatum est omnia honesta constanter agere, omnia molesta & ardua viriliter sustinere. Tuam verò circa insignes ac difficiles sumptus magnificentiam, Tuam circa honorem Literario Orbi ingentibûs partum laboribûs magnanimitatem, Tuam in DEO circa quodvis arduum consequendum bonum fiduciam integritati vitæ conjunctam, Tuam in omni virtute constantiam, Tuam in rebus adversis patientiam nemo unquam condignis laudibûs poterit celebrare: Delegavit Te nuper Universitas ad Generalia Regni Comitia *GRODNAM*, & ecce nec asperitas viarum, nec discrimina silvarum, nec inclementia Cæli, nec mors magni olim Georgii KOSTOWSKI in simili ab Vniversitate delegati negotio oppetita *GRODNÆ* Tuum fortem animum terruerunt. Nimirum: *qui circa res præclaras & splendidas versantur*, (d) *magnos capiunt & audaces animos*, & quæ nam res Tua occupatio erant, nisi illæ pulcherrimæ scientia & virtus? unde erectum & præcelsum *GRODNAM* attulisti animum nulli timiditati subditum. Complacuisti proinde numerosissimo illi Principum Regni & Magnatum cætui, & æquè gloriosissimè ac sapientissimè Universitatis negotium promovisti. Est & aliud fortitudinis Tuæ indicium, cujus narrationem silentiô potiùs prætere deberem, nisi Tuæ æquanimitati crederem &

Ad Comitia Regni Grodnam Delegatus imperterrito animô iter suscepit & prudentissimè negotiũ Universitatis promovit.

F cor-

(a) *Democl. de fort.* (b) *S. Ambros.* (c) *idem 1. Offic.* (d) *Demosth. de Ordinat. Civit.*

Jngentem dolorem ſuper fatis trium Fratrum ſuorum fortitudine animi facilè ſuperavit.

cordis magnitudini. Habes, habes in memoria glorioſiſſimos olim Fratres Tuos CZYRNICIOS nempe JOANNEM Philoſophiæ Doctorem, Opatovecenſem Curatum! BARTHOLOMÆUM Canonicum Regularem Lateranenſem in Kurozwęki Præpoſitum germanos, & THOMAM Philoſophiæ Doctorem, Præpoſitum S. ALBERTI ad Poſnaniam ac Synodalem Examinatorem Patruelem, Viros omni exceptione majores, omni eloquiô eminentiores, omni gloriæ ſublimitate altiores. Superârunt meritîs famam, virtutibûs vaſtitatem laudum excelluerunt, ſanctitatem non ſolùm integerrimè coluerunt ipſi, verùm etiàm quàm plurimos ad illam erudierunt, fulſerunt in oculis hominum ſicut ſtellæ, & per ſanctos labores ac bona opera magnæ lucis exempla monſtraverunt. Et ecce mors dira ut Tuam in adverſis probaret conſtantiam, hæc tam pulchra lumina terris, hos conſummatæ ſapientiæ & probitatis Viros tenerrimo amori Tuo ſurripuit, verùm Te ſemper magnanimum, ſtrenuum, fortem, conſtantem, neſcium adverſitate vinci repererat; maluiſti dilectis Fratribus ſanctam Tuam pietatem offerre, quàm dolorem. Auream verò mediocritatem Tuam quiſquis laudibûs extollere vellet, totum impendat eloquentiæ conatum. Virtus enim hæc tantùm in Te eminet, ut quamvis in moderatione conſiſtat, omnem tamen verborum excedat amplitudinem. Semper etenim conſummatus in omni doctrina THEOLOGUS præ oculis habes, quia *DEUS omnia* (e) *in pondere, numero & menſura conſtituit*, ac propterea ùt *ſervitutem ſimulacrorum* (f) *avaritiam* abhorres, & ſicut nimiam parcitatem odiſti, ſic prodigi ac diſſoluti hominis morem gerere caves, Tuæ inſtitutum

Frugalis Temperantia Perilluſtris Domini humanitati conjuncta.

vitæ

(e) *Sap. 11. v. 22.* (f) *Coloſſ. 3. v. 35.*

vitæ optimum eſt dogma temperantiæ. Enimvero *mediocritas ad omnem uſum & cultum referenda eſt*, (g) *in omnibus rebus mediocritas eſt optima*, hanc proinde intemeratè colis, hanc rigidè ſervas, hanc amas non ignarus, quia medium tenuere beati, in Te normam & regulam habemus, quòd *his in rebus*, (h) *quæ in vita tractantur, modum quendam & ordinem conſervare debemus*. Facillimè quidem hoſpites & amicos recipis, verùm Te illis ſimul parcum, ſimul humanum exhibes, parcum nempe ad luxum, ad hilaritatis autem exercitia optimè humanum, ne in rerum temperato uſu menſuram excedere contingat, liberalitati frugalitatem miſces. Sobria ſemper actionum Tuarum ratio luculenter demonſtrat, quia *penu virtutis* (i) *eſt temperantia*, invicta conſtantia Tua & inſeperabilis à ſummo bono animus ſatis clarè docet, quia *robur animæ* (k) *eſt temperantia*, omnino enim eorum veſtigia ignoras, qui *neſcierunt præ vino* (l) *erraverunt præ ebrietate*. Quid verò? unde provenit tam inſignis actionum Tuarum elegantia & ſumma animi tranquillitas turbidæ commotionis ignara, ecce enim benignitatem per ſe gratam comitate adjuvas, clementiam per ſe amabilem, manſvetudine exornas, maturitatem & gratiam verborum perſe commendabilem affabilitate vultûs condecoras, naturalem geſtuum decorem per ſe auguſtum moderatione mirabili jucundiorem reddis, benevolentiam per ſe laudabilem facilitate locupletas, unde inquam hæc ſvaviſſima vitæ inſtitutio? ô profectò *temperantia eſt* (m) *moderatrix omnium commotionum, temperantia eſt* (n) *firma & moderata dominatio ſuper non rectos impetus*. At verò temperata

 vita

(g) *Cic. 1. Offic.* (h) *Idem 2. Offic.* (i) *Menand. in Georg.* (k) *Pythag. apud Stob.* (l) *Iſaiæ 28. v. 7.* (m) *Cic. de finib. n. 5.* (n) *idem in Rhet.*

Pietas Perillustris Domini una cum profusa liberalitate illius.

vita ipsa est bonis operibus maximè apta, ita est, temperantia pietatis Tuæ magnum decus est & subsidium, qui, ut mentem ad Divina extollas terrenas delicias aspernaris. Pietatem verò non omnibus piis communem Viris sed singulari titulo dignam exerces, quamvis etenim commune Tibi cum Ascetis sit inextingvibilis amoris Divini flammas fovere, mentem ad DEUM continuò elevare, orationibus instare, sancto devotionis igne ardere, incruenta Altaris sacrificia æterno Patri quotidie offerre, DEUM pro populo placare, pro animarum salute solicitari, tamen præter hæc pietatis exercitia habes aliquid singulare. Nimirum sanctæ pietati Tuæ largam liberalitatem junxisti, non illam solùm, quæ hominum indigentiis succurrit, verùm etiam illam excellentissimam, quæ intimè Divino honori sociatur. Tantos enim in reparationem & ornamenta Templorum profudisti sumptus, tantas impendisti curas, quantas vix crederet aut intelligeret orbis, nisi Tuam videat pietatem. Quatuor enim Sanctuaria DEI incredibili exornâsti cultu, & quandam mirabilem vetustati eorum novitatem donâsti, sic in magna *Gierałtowice* apparamenta Altaris resarsisti alia, alia procurâsti, Ecclesiam in *Gay* insigni reparatione condecorâsti campanamq; illi majorem comparâsti. Quid verò dicam de Ecclesia in *Pobiedr*? en illam à fundamentis ferme restaurâsti, sacristiam illi de novo affundâsti, apparamenta, calices, monstratorium, organum, ac tres majores campanas providisti, insuper Plebanalem domum cum prædio erexisti, habitacula non modico sumptu pro Vicario, Organario & Campanatore exstruxisti, decimas & fundos ad eam pertinentes jure vindicâsti. Jn *Opatowiec* Ecclesia nonne Tuas miratur impensas? hanc

Quatuor Ecclesias notabilissimè reparavit & exornavit. Ecclesia in Gierałtowice & altera in Gay.

Ecclesia in Pobiedr.

Ecclesia in Opatowiec.

etiam

etiam perquàm ornatè reparâſti, domos pro his omnibus, pro quibus etiam in *Pobiedr* fundâſti & alia permulta ædificia commoditati Parochi multos ſervitura per annos erexiſti. O pietatem & liberalitatem Regiam ac Regia imitatione dignam! ſatis habent cæteri ſacrorum Miniſtri, ſatis laudum, gloriæ & commendationis habent, quòd in Domo DEI diligenter laborent, Tibi parum erat, quòd in Eccleſia exemplariter & ſtrenuè laboraveris, quòd Conciones ſacerrimis plenas dogmatibûs & ſvaviſſima oris Tui gravitate ornatas centùm tredecem per varias in ipſa Cracia Urbe & Suburbiis ejus Exedras cum ſummo populi fructu dixeris, niſi etiam pro Eccleſia algeres & ſudares.

Indefeſſi labores Perilluſtris Domini.

Taceo plura de virtutibus Tuis, qui nec minima dixi, ad eruditos labores Tuos humilem converto calamum, at unde exordiar? à minoribus Oratores inchoare ſolent, ſed nihil eſt in Tuis laboribus minus, omnia magna, omnia laudabilia & auguſta. Quid enim? nonne ſumma vigilantiæ & ſedulitatis Tuæ magnitudo patuit? dum decem per annos in Schola Sacratiſſimi Corporis Chriſti munus Vigilantiſſimi Senioris gerebas, ac pro interim ſpeculativis ingenium Tuum mirabiliter excolebas ſcientiîs, donec ad ſupremam perfectionem ſapientiæ pervenires. Cùm verò ſcires Te publicæ utilitati & gloriæ DEI atque Divorum Cælituum cultui natum, in publica etiam luce Tuos non dubitâſti exercere labores, dum dolores patientis Domini, Divi Stanislai Caſimiritani dotes, Beati Simonis de Lipnica virtutes publicîs concelebrâſti encomiîs, omnes illa quæ dixiſti, & ſimul quàm laudabiliter dixiſti, mirabantur. Per arduam ſcilicet viam, per tritam magnîs laboribûs Tuis meritorum ſemitam ad honores iviſti, quò au-

Decē annorum in Schola SS. Corporis Chriſti Senior.

Tres publicas Orationes habuit.

rem altiorem obtinuisti præcellentiam, eò grandiores labores attentabas. Respondisti Vocationi ad Collegium minus; jam Te aliquam reperisse quietem existimarem, jam Te minùs magnis laboribus indulgere crederem, at non ita est, nec minima potest pati otia Tuus maximus laborandi ardor, arripuisti proinde novum laborem in dictando Cursu Philosophico ex quo binas Disputationes publicas absolvisti. Jam verò quàm arduum sit doctos regere Viros, eruditis imperare capitibus, duobus quavis habdomada Philosophicis præsidere circulis, ille optimè qui probavit, novit, aut qui bene perspexit ac intellexit. Honos hic maximum onus est, quem tamen susceptum præclarîs exornâsti dotibûs, & in illius constitutus fastigio probatos post examen rigidum Viros ad primam in Philosophia Lauream promovisti. Quinetiam promoverunt Te hæc merita & labores Tui ad Collegium Majus, sed simul ad subeundos ultra labores promoverunt. Iterum hìc Philosophicum expedivisti Cursum, quem pariter Disputatione laudatissima decorâsti, atq; rursum munus Decani gloriosissimè obivisti. Quidquid autem obscuritatis Logicalis parturiit umbra, quam intellectus humanus solo objectu & fictione gignit, claritate explicationis Tuæ elucidâsti optimè, quidquid natura ex effectibus suis in secreta occultatione abscondit, eruisti solertissimè, quidquid transcendentium ratio & status entium supra omnia genera rerum & supra ipsum Creatorem evexit, attigisti sublimitate ingenii facillimè, & quasi digitô Auditoribus Tuis demonstrâsti. At verò dum hæc de intellectus humani artificio ac de naturæ arcanis innuo, certam felicî auspiciô accepi notitiam, quòd jam tunc SACERDOS Magnus Divinis addictus A-

Ex Collegio minori Cursum Philosophicum dictavit, ex eoq; bis disputavit, Decanus electus ad primam Lauream promovit.

Ex Collegio Majori identidem Cursum Philosophicum dictavit ex eo que disputavit & Decani munus obivit.

ris

ris sancto pietatis ardore mirum in modum flagraveris, & quia non Tibi soli voluisti vivere, propterea in sacris Divæ Annæ Ædibus pro SALVATORIS nostri & Virgineæ Matris illius MARIÆ Festis per triennium sacrum egisti Oratorem. Docebas verbîs, propriis movebas exemplîs, delectabas svavitate oris, vehementiâ spiritûs deterrebas à malo, gravitate sermonis ad bonum inclinabas. Hæc igitur Tua celeberrima Sapientiæ & virtutis dona Theologicæ Te commendaverunt & adscripserunt Facultati, Theologicis addixerunt laboribus, optimè verò in hac sacra Facultate cæpisti, quia doctrinam Divi Pauli Apostoli *Scutum inexpugnabile militantis Ecclesiæ* solemni oratione probâsti, vigili perspicacia explanâsti, & plausibili disputatione defendisti. Bonum etenim strenuus Christi miles invenisti scutum, quia doctrinam Apostoli, quam pridem Concionibûs & moribûs Tuis commendâsti Orbi, cùm Apostolicîs omnino vestigiîs ex virtute in virtutem ex labore procedas in laborem. Quis enarrabit eruditos ac solidos in explicandis speculativæ Theologiæ arcanis conatus Tuos maximis conjunctos Virtutibus? tractâsti de DEO Uno semper illius propagando honorem, tractâsti de Visione DEI omnia videntis semper in ejus oculis integerrimam honestatem servando, tractâsti de scientia DEI omnia scientis, semper illi candidam offerendo conscientiam, tractâsti de voluntate DEI, semper illi intimè conformando propriam, tractâsti de Sanctissima Trinitate, semper illi profundam adorationem reddendo, tractâsti de Sanctis Angelis semper illos devoto honorando cultu, ut verò clariùs Theologica eniteret speculatio, septem ex dictis Tractatibus Disputationes publicas absolvisti. Porro anni Tui ipsi labor sunt,

In Ecclesia Divæ Annæ pro Festis Salvatoris & B.V.M. trienniô concionabatur.

Ad Facultatem Theologicam vocatus habuit Orationem de doctrina D. Pauli, ex qua explicata disputavit.

Cursum Theologiæ speculativæ per Tractatus extradidit.

 omnis

omnis hora, omnis dies, omne momentum testimonium præbet operosæ virtuti Tuæ, otium velut pestem fugis eruditîs & continuîs laboribûs delectaris. Equidem post tot ac tanta molimina infractô animô triennalem Moralis Theologiæ suscepisti Cursum, quòd verò Theologiam hanc *Cynosuram ad portum æternæ felicitatis viatoribus prælucentem* in publica oratione prædixeris, non erat opus, ut probares rationibûs, quia ipsis probâsti & probas operibûs, longa sanè illius propositionis confirmatio, quam per omnes vitæ Tuæ annos & auribus & oculis demonstras. Non enim alienis exemplîs in explicandis laudabilium regulis morum egebas, cùm Tu ipse omnium virtutum verum fores exemplũ, unum Tibi nimis arduum erat, quòd enormitatem criminum explanare deberes, quæ etiã nominare abhorres. Quanta autẽ in penetrando facilitate, in probando soliditate, in resolvendo felicitate, in explicando claritate polleas, patuit quoq; in erudito certamine quatuor ex cursu Morali absoluto vicibus, ubi semper gloriosus victor evasisti. Quid verò? num vincere rarum Tibi est? etiam ex trino Sacramentalis Cursûs docto conflictu laudabilem reportâsti victoriam *efficacissima contra spirituales morbos Remedia per Te deducta Sacramenta*, quæ duobûs cum plurimo Auditorum profectu explicâsti annîs, Spiritum tuum semper sanum, robustum, invictum, magnanimum probaverunt. Non parum quoq; Tuæ victrici addiderunt laudi illæ duæ Disputationes plausibiles, altera ex Tractatu de Legibus, ut enim ex dictamine legum & rectitudine conscientiæ singulas ad finem ultimum nempe DEUM actiones ordinas, ita semper illius suppetias præstò habes, ac propterea facilè victrices obrines

Cursum Moralem tribûs annîs docuit & ex eo quater disputavit.

Ex Cursu Sacramentali quem bienniô dictavit tres Disputationes absolvit.

Ex Tractatu de ultimo fine unam, & ex Tractatu de Legibus alteram Disputationem habuit.

nes cum gloria palmas. Quid verò? de peccatis etiam explanâsti Tractatum? qui nihil magìs odio quàm peccata habes, nam quasi à facie colubri fugis peccatum, at *nihil pulcherrimo soli,* (o) *quamvis in lutum suos transmittat radios, obest,* explicâsti peccatorum malitiam, & hinc vehementius contra illa odium concepisti. Jnteger vitæ, criminum purus, verus Angelici imitator Doctoris, Angelicis pene dotatus qualitatibûs Quæstionem de Angelis pro *Licentia* ad Doctoralem in Theologia honorem extradidisti, unde meritò colligere licet, quia Tibi nihil magìs placet, quàm illa nescia labis, fragilitatis expers, beatorum pulchritudo Spirituum. In terris quidem vitam mortalem degis immortalibûs conspicuus donîs, Tua verò conversatio in Cælis, Tua quoq; sublimitas mentis Angelis Te sapientiæ donô consimilem ostendit. Ecce quid non valeat diligentia? *diligentia mediocre etiam ingenium & commendat & magnum reddit,* (p) *diligentiâ studia vigent, diligentia parvam eruditionem amplissimam facit,* at verò cùm in Te tam nobile, tam præcelsum tam magnum repererit ingenium, quantũ fecerit, verba exprimere non valent, sola hoc Tua exprimit sapientia. Equidem diligentiæ & sedulitati Tuæ testimonium reddit illa Tui animi generositas, quæ Te ad Principum Aulas multo requisitum conatu ab ambitu Aulici honoris alienum fecit, Universitati & in ea doctis laboribus intimè addixit, persvasit Tibi, quia *locus hic* (q) *officina est ingenuîs artibûs & honestissimîs moribûs Juventutis formandæ,* vetuit per varias terræ quærere præconia partes, & bene: *consummatæ enim virtutes* (r) *etiam in beatis latibulis suis, etiam in recessu à turba cryѕtallô puriùs nitent, sole ful-*

Explicavit Tractatum de peccatis.

ProLicentia ad Doctoratum extradidit Quæstionem de Angelis.

Ad educandos in Literis nobilissimos Juvenes in Aula Celsissimi Principis Theodori Lubomirski Palatini Crac. requisitus abstrahi ab Academia noluit.

H gentiùs

(o) *Euripp. in Belleroph.* (p) *Jacobus Gorscius in Parænesi ad Professores Academiæ Crac: sub anno* 1581. *die* 11. *Martii.* (q *Idem ibidem* (r) *Biezanovius in Panegyri* Manus tornatiles aureæ.

gentiùs coruſcant, & Argos ubiq; centoculos habent, cùm nihil magis recuſent quàm videri. Jta profectò: *meritum etiam ante laudem (s) honor eſt,* nec eſt opus bonis, honeſtis ac eruditis Viris publicas obambulare domos, ut honorem reperiant, *verus honor (t) virtus animi eſt,* hæc eſt vera rectefactorum proprietas, ut eò celebriùs laudentur, quò magìs hominum evitant oculos, quia *Virtutis (u) in laude præmium eſt,* & *magnus honor (w) debetur magno operi virtutis,* cùm *ipſe ſit (x) ſoli virtuti debita merces.* Jdcirco potiùs inter labores vivere virtutum Magiſtros, quàm foris honores quærere maluiſti, non inſcius quia *bonorum laborum (y) glorioſus eſt Fructus,* diligentiæ atq; continuæ ſedulitatis ope ad hanc ſapientiæ perveniſti magnitudinem: & *beatus homo (z) qui invenit ſapientiam,* etenim *homo ſenſatus (a) honorabitur, ſapiens in populo hæreditabit honorem, (b) & nomen illius erit in æternum.* Hoc autem maximum eſt ſapientiæ Tuæ encomium, quòd eam non in verbis ſolùm magno Doctori conſentaneis, ſed ſimul in actione conſtituas, ſic enim agis, ſic Te geris, ſic doces, ſic Tuam diſponis vitam, ut in Te Academico DOCTORE, in Te præſtantiſſimo THEOLOGO omnis doctrina & omnis ſapientia, quæ ad perfectiſſimam honeſtatem pertinet, oculis videatur.

Licentiam in ordine ad obtinendum Doctoratum recepit Perilluſtris Dominus à Magnifico Rectore Perilluſtri Domino STĘPLOWSKI Procancellario.

Perſpexit has ſcientificas animi Tui qualitates maturô ſcrutiniô ſuo *Magnificus Perilluſtris & Admodùm Reverendus D. M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI, Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, ejusdemq; Facultatis PROCANCELLARIUS,* Eccl: Collegiatæ S. *FLORIANI* DECANUS &c.&c. quē

utilem

(s) Neremberg. (t) S. Chryſoſt. (u) S. Syneſius. (w) S. Thomas Doct. Angel. (x) Marcell. Paling. (y) Sap. 3. v. 15. (z) Prov. 2. v. 13. (a) Eccli. 21. v. 31. (b) Eccli. 31. v. 29.

utilem DEUS *Rectorem* (*c*) *in* illo *suscitavit tempore*, quô pro candore antiquo, pro bono publicô Literarum, pro legum observantia, pro sancta Juvenum disciplina maximè decertandum. Quid plus de eo dicam? *Vir est optimus & inter præcipua sæculi ornamenta numerandus* (*d*) *colit studia; studiosos amat, fovet, provehit, multorumq; qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium, omnium exemplum, ipsarum demq; literarum jam senescentium Reductor ac Reformator.* Tam magni, tam incomparabilis Auctoritate PATRIS illam petendi *Doctoratûs Theologici* obtinere meruisti *Licentiam*, quam olim exoticæ etiam Gentis *SBIGNEUS de Jllustrissima* BERKARUM *Familia* (*e*) *ARCHI-EPISCOPUS Pragensis, LEGATUS NATUS, Ordinis Crucigerorum cum rubea Stella MAGISTER GENERALIS*, in hac Alma Universitate quærere & impetrare non dubitavit. Addit Tibi pariter calcar sponte currenti ad hunc supremum Theologici honoris gradum *Perillustris & Reverendissimus Dñus M. ADALBERTUS GRZYMAŁA, Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Ejusdemque Facultatis DECANUS, Collegii Majoris ac Universitatis SENIOR PATER, Eccl. Cathedralis Crac: CANONICUS &c. &c. Vir gravis, prudens,* (*f*) *multis experimentîs eruditus*, Nobilitate generis, doctrinæ multiplici varietate, sapientissima sacrarum literarum notitiâ, virtutum præstantiâ clarissimus, dum Te primarius Orbis Academici Sustentator primum ordine, hoc in actu solenni renuntiat DOCTOREM; hinc feliciori successione, Tibiq; majoris accessione dignitatis, quòd antiquiori Universitatis hujus sæculô *NICOLAUS SOLECZYNSKI*

Archi-Episcopus Pragẽsis in Universitate Crac. Sacræ Theologiæ Licentiatus factus est.

Perillustris Dominus à Reverendissimo GRZYMAŁA Doctoratûs insignia capessivit.

 (*g*) *Epi-*

(*c*) *Eccl. 10.* (*d*) *Plin. Jun. lib. 8. Epis. 10.* (*e*) *Georg. Bartholdus Pontanus à Braitenberg, Sacræ Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Præpositus &c. in Orationibus funebribus Moguntiæ typo impressis de anno 1608.* (*f*) *Plin. Jun. l. 1. Epist. 5.*

Perilluſtris KRZĄNOWSKI in Theologica Facultate ſecundus ordine DOCTOR

Perilluſtris Biegaczewicz CON-NEO-DOCTOR.

(g) *Epiſcopus Vilnenſis ab ANDREA GRZYMAŁA* ſuæ Facultatis *DECANO Lauream Doctoralem prenſâſſet.* Neq; Tibi gratulari non potes; quòd *Perilluſtrem Clariſſimum. & Admodùm Reverendum Dominum M. ANTONIUM KRZĄNOWSKI, Sacræ Theologiæ DOCTOREM & PROFESSOREM, Eccleſiæ Collegiatæ S. Floriani Præpoſitum, Facultatis Juridicæ PROCANCELLARIUM &c. &c.* illum ad ſacrum conſortium nanciſcaris *PATREM* & *CONFRATREM*, cujus morum gravitas, vitæ probitas, conſtantia, pietas, candor, eruditio, ac denique in utraq; ſvada rara commendatio tam accepta & nimiùm dilecta eſt, ut *caput ejus aurum optimum* (h) *ad Infulas natum eſſe diceretur.* Ptæterea ſi *pares in gradu* (i) *pariter admittuntur*, non minorem gloriæ exiſtimationem Tibi comparat *Perilluſtris Clariſſimus & Admodùm Reverendus Dñus M. ADALBERTUS BIEGACZEWICZ Sacræ Theologiæ Conſocius NEO-DOCTOR, Eccl. Collegiatæ S. ANNÆ Decanus &c. &c.* cum quo Theologicæ incorporaris Facultati. Mutuus vobis illeq; magnus ab ineunte ætate animus fuit, ut immenſas curas contemneretis, aſpera moleſtiarum tædia non ſentiretis, rigidos labores patientiâ, vigilias conſvetudine, lucubrationes aſſiduitate emolliretis. Hinc duriores operas pertinaci labore, præclaras in ſtudiis contentiones ſolerti prudentia, obvias Profeſſiones non ſolùm diligentiâ & perſeverantiâ, ſed etiam integerrimâ boni nominis famâ, mirabiliq; omnium ſcientiarum cognitione firmâſtis, illuſtrâſtis. Sed quid mirum? non primùm hic *DOCTORALIS HONOR* hac ardua virtutis ac eruditionis

nis

(g) *Andreas de Labaſzyn Decret. Doctor de inſtit. Acad. Crac.*
(h) *Senſus Sereniſſimarum Majeſtatum Regni Poloniæ de Perilluſtri Præpoſito, dum impræſentiarum in Eccl. Cathedr. Crac. verba faceret.* (i) *l. ſi reliquero. in legi. tuto.*

nis viâ petitur, non prima Tibi præfigit veſtigia; *exemplis (k) res fit manifeſtior*: ſicuti moderna ætate, prioribûs ac ſuperioribûs ſæculîs *Joannes Cantius*, *Stanislaus Caſimiritanus*, (*l*) *Anapachanius* Sanctæ illæ laureolîs Cæleſtibus coronatæ animæ. *Jaſtrzębiecius*, *Laſcius*, *Dembinſcius*, *Baranovius PRIMATES ac VICEREGES*. *Strzępinius*, *Oporovius*, *Joannes* de *Targowiſko*, primariarum Eccleſiarum *EPISCOPI*. *Joannes à Cracovia*, *Jacobus Iłzenſis*, *Vaſco*, *Falęcius*, *Piravius SUFFRAGANEI*. *Michaël Florentius*, *Andreas de Lubieniec*, *Petrus de Paradiſo*, *Małachovius*, *Rogovius*, *Makowieccius ABBATES*. Tres *Joannes Leopolitæ*, *Novicampianus*, *Opatovius*, *Vadovita*, *Vitellius*, *Papencovii*, *Hercius*, *Cynerſcius*, *Broſcius*, *Radzcius*, *Dąbrovius*, *Kucharſcius*, *Baltazarovicius*, *Makovius*, *Sowinſcius*, *Woiewodzcius*, *Winkler*, *Pſoieccius*, *Przewoſcius*, *Praczlevicius*, *Oslinſcius*, *Profeccius*, *Plaſzczevius* ac alii pluſquam numerandi; quorum catalogus longior recenſendus eſſet, Cathedralium tum Inſigniorum Eccleſiarum *PRÆLATI* & *CANONICI* de hac ſacra prenſata Laurea centuplum Patriæ & Eccleſiæ fructum attulerunt. Hos ac plurimos alios ſanctitate, omnigena eruditione tum pietate præditos intima recollectione, necnon frequenti relectione memorans etiam juratos in verba & opera tantorum *MAGISTRORUM Diſcipulos*, qui Tibi convixere doctoq; conjunctiores fuere *DOCTORES*, in rigidè obſervanda vitæ perfectioris regula attigiſti. Depromſiſti maturitatem judicii à *MATERSCIO*; auream mediocritatem à *DASZCZYNIO*; morum gravitatem & prudentiam à *MARKIEVICIO*; liberalioris beneficentiæ ſortem à *ZIĘTKIEVICIO*;

Commemoratio Laureæ Theologicæ Candidatorum ſimulq; Theologiæ Doctorum.

Converſatio Perilluſtris NEO-DOCTORIS cum Primoribus Theologis, dum adhuc in vivis agerent.

(k) *l. præter §. Julianus de collatio. bon.* (l) *Andreas de Labaſzyn, tum Simon Starovolſcius.*

CIO; auctoritatem & magnanimitatem à *KUROVIO*; pietatis medullam à *KALEVIO*; amænitatem mentis à *KOLENDOVICIO*; morum antiquorum normam à *SZYMAKOVIO*; fortitudinem & constantiam animi à *PHILIPPOVICIO*; subtilitatem & judicium in causis decidendis à *PAŁASZOVIO*; æquanimitatem conscientiæ à *GOSZKOVIO*; intemeratam vitam à *POPIOŁKO*; candorem verò ab omnibus, quibuscum versabaris, delibâsti.

Equidem cum æqualibus labore contendis sine exacerbatione, modesta gravitate amorem concilias sine supercilio, perspicaci industria præluces sine fastu, multa animô complecteris, multa ingeniô revolvis ac penetras sine arrogantia ac aliorum contemptu; sic sanctitatem in vita, auctoritatem in moribus, pietatem in corde retines, animum à falsis opinionibus, linguam à contumeliis, oculos & aures ab improbitate detorques, omnes integerrimi & gravissimi Viri numeros absolvis. Enitet in Te pietas sine simulatione, prudentia sine calliditate, morum gravitas sine temeritate, acumen ingenii sine elatione, gloria solidæ eruditionis sine vanitate. Hæc est Tua sapientia summis sociata virtutibus; ergo *sustine* (*m*) *bonos FRUCTUS illius, homo sensatus in sapientia manet* (*n*) *sicut sol* æternîs laudibûs celebrandus. Habes igitur, habes honestatem in virtutibus, in eruditis laboribus honorem, at verò ut etiam immortalitatem habeas, laudes Tibi omnino debentur, quoniam *honesta præconia sunt virtutis anima*, (*o*) *honestatis nervus, fortitudinis vita*; & licèt merita, dotes, sapientiam & virtutes Tuas nemo satis narrare aut scribere queat, hoc nihil

(m) *Eccli. 6. v. 19.* (n) *Eccli. 27. v. 12.* (o) *S. Damasc.*

nihil Tuæ dignitati obest, siquidem *est hoc genus maximum laudis, (p) cùm Orationis copiam Virtus exsuperat & magnitudo laudati.* At superâsti meritîs ac virtutibûs Tuîs omnem verborum numerum; superes ergo & annîs ac solatiîs. Victorum gestamen Laurus quæ Te *DOCTOREM THEOLOGUM* insignit, sit altiorum Tibi in Regno Literario & in Ecclesia DEI dignitatum omen, FRUCTUM *HONORIS & HONESTATIS* immortalem habeas Tui Nominis famam, *--nec, quando Mundus corruet, ipsa cadat.*

CeLeVsMa VnItI CorDIs

seu

PLAUSUS VOTIVUS

ALUMNORUM Contubernii Starnigeliani, *Programmate*; ex eoq; *purîs Anagrammatîs* tum *Epigrammatîs*

DIDUCTUS,

Perillustri Domino PROVISORI suo

PERSOLUTUS.

Programma.

MICHAEL NEO-DOCTOR vivat.

Anagramma I.

CHORI DOCTI LEVAMEN OVAT.

Dum Tibi persolvit dignos Academia plausus,
Quis non contendat reddere vota Tibi?
Ornat sacra Tuam condignè Laurea frontem,
Hinc cor sincerum, dum Tibi plaudit, *ovat.*
Vive dies multos ô nostrûm dulce *levamen*!
O PATER ô *docti* gloria magna *chori!*

Alexander Borlikowski
Min. Ord. Clericus, Auditor Dialectices.

I 2 Ana-

(p) *S. Chrysost.*

Anagramma II.

VIAM COLUIT, HONOR DECEAT.

Laurea Te PATREM decorat, quis talia quærat?
Si Tua ſi *deceat* tempora tantus *honor*.
Omnis enim dicet, ſi de Te quæſtio fiat?
Juſtitiæ, *coluit* juſtus & ipſe *viam*.
Vive diù ſoſpes multo decoratus honore,
Hæc ſincera Tui vota clientis habes.

Ignatius Bykowſki Burgrabides
Lancic. Auditor Dialectices.

Anagramma III.

HOC ORDINE ALTA VOCE ITUM.

Alta voce Tuos enarrat fama decores,
Hoc etenim, quo nunc *ordine* plaudit, *itum*.
Semper enim juſtus, ſemper venerabilis ibas,
Cingebatque Tuum gloria ſumma latus.
Fama proinde Tuis famuletur laudibus, & Quem
Ornavit virtus, ornet & altus honor.

Stanislaus de Oſtrow Rychłowſki Caſtellanides
Siradienſis, Auditor Rhetorices.

Anagramma IV.

VIM E LOCO DOCTRINA VEHAT.

Vim doctrina vehat, vim tanti Nominis altam,
Ut niteat toto Nomen in Orbe Tuum.
Laurea ſacra Tuum dignè caput ambit & ornat,
E decoro pateat Laurea ſacra *loco*.
Laurea Te cunctîs DOCTOREM muneret annîs,
Et quibûs excellis, dogmata fama vehat.

Aloyſius Rychłowſki Caſtellanides Siradienſis,
Auditor. Rhetorices.

Anagramma V.

CHIRON DICTO AEMULO AVET.

Laudibûs ampla ſuîs exornat ſæcula *Chiron*,
Qui magni quondam Doctor Achillis erat. Sed

Sed velut excedit Sol cunctas lumine stellas,
Aemulô eum *dictô* sic superare vales.
Scilicet illa Tuam replet sapientia mentem,
Quam dum perpendit lauriger Orbis, *avet.*

Michaël Lipski Subdapiferides
Połocensis, Auditor Rhetorices.

Anagramma VI.

LAUDEM HONORI ACCIO TUTE.

Mente Tuo prona *tutè PROVISOR honori*
Accio nunc *laudem* quæ Tua gesta decet.
Et licèt hìc paucîs valeam Tibi plaudere verbîs,
Multa tamen magnæ munera laudis habes.
Nam pridem virtus, pridem Tua facta probârunt,
Maxima quòd semper laus eris ipsa Tibi.

Josephus Rychłowski Castellanides Siradiensis
Pòësеos Studiosus.

Anagramma VII.

CANO HUICMET VIRO DE ALTO

Gaudia mille meæ præstat Tua Laurea menti,
Dum Tibi PROVISOR debita vota *cano.*
Ergo Tui narrabo libens *de* Nominis *alto,*
De quo perpetuo fama nitore canet.
Dum mihi contigerit quid de Te dicere, dicam;
Ipse *Viro* magnus plaudat *huicmet* honos.

Daniel Błeszynski Burgrabides Siradiensis,
Studiosus Pòëseos.

Anagramma VIII.

HOMO LAUDE RECTA VINCITO.

Quantus *homo* niteas, quem præmia recta decorant,
Præmia quanta nitent Tu quoq; tantus homo.
Quin meritîs superas lauros, Te præmia digna
Jnter honorificas non habet Orbis opes.

Omnia ſic ſuperes & *recta vincito laude*,
Si quid! quod vincas, ampliùs Orbis habet.
Ioſephus Katerla Vexilliferides Bracławienſis, Pòëſeos Studioſus.

Anagramma IX.

HOC ITER AC OMEN TUI LAUDO.

Pars melior, pars ipſa *Tui* pars neſcia mortis,
Quòd patet ad Superûm lumina, ſcandit iter.
Dat Tibi lumen honor, dat magnum lumen & omen,
Omine ter fauſtus, lumine clarus eris.
Omen habet virtutis iter doctiq; laboris,
Hoc iter ac omen laudo PATRONE Tuum.
Michaël Katerla Vexilliferides Bracławienſis Studioſus Pòëſeos.

Anagramma X.

HIC NE LAUDE MAIOR UT OCTO?

Quis roget? *hicne* Pater meritis perfectus ut octo?
Cùm videat dotes ſic renitere Tuas.
Laude manes omni tum famâ *major ut octo*
Splendida præcellis lumina laudis opes.
Exſuperes annos & vivas fauſtus ut octo,
Gloria Te decoret, Te colat omnis honos.
Cantius Błeſzynſki Theſaurarides Ducatuum Zathorienſis & Oſviecimenſis, Studioſus Grammatices.

Confitebor & ipſum me & CONTUBERNALES ab editione non abhorrere, ſi modò Tu fortaſſe errori Noſtro album calculum adjeceris.

Plinius Junior lib. 1. Epiſt. 2.